



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Sequitur Instrvmentvm Notarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

præter ordinarios locorum in partibus causæ Ecclesiæ ac spirituales seu ad forum Ecclesiasticum pertinentes committi possint, à SS. Concl. Trid. sess. 25. de reform. c. p. 10, statuta sunt, in usum & praxin quamprimum deducantur, designantur in hac Synodo:

- D. Praepositus Cathedr. Ecclesiæ, Sextus à Liauckema.
- D. Decanus Cathedr. Ecclesiæ, Theodorus Morrien.
- D. Decanus Collegiatæ Ecclesiæ sancti Ioannis, David Fabricius.
- D. Iudocus Vphausen, I. V. D. & ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ Canonicus.

CAP. XXXVI. De Civibus, Incolis  
& Subditis Diæcesis Osnabrugensis.

**C**VM vero in Republica Christiana & utroque statu, Ecclesiastico & Politico, *suprema lex sit salus populi*, omnesque leges tam Ecclesiasticae quam Civiles ad interiorem munditatem, & pacem exteriorem ordinentur, quorum finis est, beatitudine omnium & singulorum hominum, quæ fine vera Religione & virtutis exercitio obtineri non potest; hinc mandamus omnibus & singulis nostris subditis, Civibus & Incolis, ut post puritatem vera & Catholicæ Religionis suscepimus, virtutis studio se dedant, publica crimina, maledicentias, blasphemias in Deum, SS. Sacra menta & Sanctos, adjurations, imprecations, ebrietates, commissationes, rixas, dissensiones, discordias, impudicitias, scortationes, & quæ sunt cætera opera carnis, non spiritus & virtutis, evident; sib; gravibus peenis, in sacris Sanctionibus, & tam criminalibus quam civilibus constitutionibus, contentis, alisque Nobis arbitrariis. In hanc rem etiam serio Superioris, Magistratus, Officiales, Curati, & Pastores incumbant, ne quid per eorum locordiam & negligientiam debite admonitionis, ac necessariae instructionis, & respectivè punitionis & correctionis, publicæ & private, præteratur, ut Deo cultus debitus, honor & gloria, & Politico statui civilis honestas & modestia integra observentur.

Hactenus Synodales Constitutiones.

Sequitur

INSTRVMENTVM NOTARII.

In nomine Domini, Amen.

**N**overint universi & singuli, hoc præsens publicum Instrumentum inspecturi, leđuri, & audituri, quod anno, à Nativitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, millesimo, sexcentesimo, vigesimo quinto, Indictione octava, die vero Martis, quartamensis Martii, stylo correlio, inter undeci-

mam & duodecimam horam ante meridiem, Pontificatus Sanctissimi in Christo Paris & Domini nostri Vibani, divina Providentia Papæ VIII, anno secundo, in meis Notariis publici, testiumque infra scriptiorum, ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, præsenta, finitæ concione Synodali & peractis aliis solemnitatibus, personaliter constitutis, Reverendus Admodum, Clarissimus & Consultissimus Vir, Dominus Albertus Luccenius, Illustrissimi & Reverendissimi Principis & Domini, Domini Itæ Friderici, Dei gratia S. R. E. Cardinalis de Zolten, Episcopi Osnabrugensis, Domini nostri Clementissimi, Vicarius in Spiritualibus Generalis, ac Protonotarius Apostolicus, habens ac suis manibus tenens schedulam quandam Protestationis, quam clara & intelligibili voce coram tota Synodali congregatione prælegit, lectaque mihi Notario tradidit; finique protestatus s' emmiserit, prout in eadem latius continetur; requirens & petens desuper unum vel plura publicum seu publica fieri & confici Instrumentum & Instrumen ta. Acta sunt hæc in superiori domo Capitulari Osnabrugensi, coram tota Congregatione, sub Anno, Indictione, mense, die, horis, & Pontificatu, quibus supra; præsentibus ibidem Honorabilibus, Eximis, & Doctissimis Viris Dominis, Davide Martinio, & Conrado Bueren, Ecclesiærum Cathedralis Osnabrugensis & Collegiatæ ad sanctum Ioannem ibidem, respectivè Canonico, Vicario & Concionatore, tanquam testibus ad præmissa specialiter rogatis & requisitis. Prædictæ protestationis autem schedulæ tenor est talis:

Illustrissimus ac Reverendissimus Princeps & Episcopus Osnabrugensis, Dominus noster Clementissimus, publicè & in his scriptis per expressum protestatur; ex quo nonnulli, qui huic Synodo de jure vel consuetudine interesse debuerant, pro hac quidem vice, tanquam notorie inhabiles, in specie citati non sint; alii etiam vel metu, vel prætextu aliquius exemptionis, non comparuerint; quod in hoc Illustrissima & Reverendissima Celsitudo Sua, Sibi Suisque Successoribus nullatenus prædicare, sed potius jus suum sibi integrum & inviolatum & contra contumaces omnia competentia juris remedia reservare & reservata esse intendat; petendo desuper à vobis Notario Instrumentum & Instrumenta.

Et ego Gerhardus Brickwedde, publicus Notarius, & Venerabilis Curia Episcopalis Osnabrugensis Scriba communis, quia prædicta declarationis publicationi, protestationi, omnibusque & singulis, dum sic, uti præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominalis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, audiri, ac in notam sumpsi; idcirco præsens publicum Instrumentum exinde confici, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redigi, signoque, nomine & cognomine meis solitis & consuetis signavi & corroboravi; in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum specialiter rogatus & requisitus.

SYN-